



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitare, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XIV. An servandæ sint iuris solennitates in alienatione iuris patronatus,
sepulchri, & smilium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

picatus, quando maior numerus Sacerdotum non est necessarius ad Sacramentorum administrationem, vt ex decisionibus Roræ tradit Genuensis in praxi, c. 60. n. 17. & Riccius de iur. 47. § 93.

Obiicies. In permutatione rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias cessat ratio prohibitionis de alienandis rebus Ecclesiæ: ergo. Antecedens probatur, quia ratio prohibitionis est, ne res Ecclesiæ ab Ecclesia exeant, & profanis vsibus applicentur, sicuti constat ex procemio cit. Extrauag. Ambrosio, ibi: *Profanis vsibus applicare, vel cum maximo illorum, vel diuini cultus detrimento usurpare præsumunt*. Quæ verba cum sint procemialia, causam finalem dispositionis significant, l. fin. & ibi Abb. n. 3. de heredit. instituend. At in permutatione rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias hæc ratio cessat, vt patet: ergo aduersus talem permutationem lex prohibens non procedit. Consequentia probatur, quia solum præsumi debet extendi ad ea, ad quæ extenditur finis intentus in ipsa lege prohibente, cap. cum cessante, de appellat.

Respondetur, nego antecedens, & ad probationem respondeo, quod causa, quæ in procemio cit. Extrauag. Ambrosio, apponitur, non est causa finalis, sed impulsiva ad prohibitionem alienationis rerum Ecclesiæ faciendam: & sic quamvis ea cesset, non tamen cessat dispositio. Quod autem illa sit causa impulsiva, non autem causa finalis dispositionis, inde probatur: quia illa prohibitio non est de nouo lata, sed antiqua renouata, & confirmata: antiqua verò prohibitio alienandi, non solum fuit, ne res exirent ab Ecclesia, & applicarentur vsui profano, sed etiam ne perirent, & vt conseruarentur: qui finis, cum per multiplicationem permutationum res consumantur, & deteriorescentur, læditur permutatione, etiam si permutatio fiat inter Ecclesias.

Accedit, quod alioquin posset inter Ecclesias fieri donatio, & venditio; quia per hos actus etiam res non exirent ab Ecclesia, nec applicarentur vsui profano. Accedit secundò, quod esto concedatur in Extrauag. Ambrosio, dictam causam appositam esse finalem prohibitionis, dicere tamen debemus, esse finalem prohibitionis, non vtunque, sed solum prohibitionis sub illis pœnis, censuræ scilicet, & priuationis beneficiorum; itavt in permutatione rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias (idemque dico de venditione, & donatione inter easdem) non contrahantur dictæ pœnæ ex eo, quod res Ecclesiæ in tali casu non exant ab Ecclesia, neque applicentur vsui profano.

Obiicies secundò. In c. ea enim, §. sibi inuicem, 10. quest. 2. cap. 1. de rebus Ecclesiæ non alien. & ex Clem. III. in c. ad quest. de rerum permutat. permittitur permutatio rerum Ecclesiasticarum inter Ecclesias, consentientibus Prælati: ergo.

Respondetur, hos textus esse correctos per alios prohibentes eodem modo permutationem, ac donationem, & venditionem, vt supra dicebam.

At quoniam (vt fatear) correctio textuum est vitanda quammaximè, & solum admittenda quando clarum apparet correctionis fundamentum, quod non est in casu nostro, dici potest, sufficere, quod in aliis textibus permittatur permutatio inter Ecclesias, non tamen venditio, & donatio: & sic, quod spectato iuris rigore, opposita sententia Riccij, Peregrini, Triuiliani, Barbosa, & aliorum (præsertim si permutatio fiat inter Clericos, vel Regulares eiusdem Ecclesiæ, Monasterij, vel etiam Religionis, vt dicitur dub. 23.) sit etiam probabilis.

Et ad praxim Romanæ Curie respondetur, quod talis praxis non inducat legem de mente Pontificis seruandam; quia etiam pro casibus non necessariis, vt ad tollendos scrupulos, vel ex alio capite, vt in casu Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

nostro, solent haberi recursus ad Sedem Apostolicam, & impetrari à Pontifice ea, quæ etiam ab Ordinariis obtineri possunt. Quapropter dicendum, quod tunc solum consuetudo interpretatione, quæ obliget, legem interpretetur, quando sumus in necessariis, non autem quando sumus in facultatiis, itavt praxis versetur circa ea, quæ sunt in libera potestate cuiuscumque, quia ex actibus meræ facultatis non inducitur consuetudo, sicuti tradunt Rochus de Curte cap. fin. num. 366. de consuetud. Alias in cap. A. bates, num. 10. de verb. signific. cap. ad nostram, de confirm. utili, vel inuili. cap. cum sit generale, num. 15. de foro compet. cap. ex parte, num. 7. de concess. præbend. & cap. quoniam, num. 8. de vita, & honest. cler. Cyn. in lib. 2. Cod. quæ sit longa consuetudo, Calderin. consil. 3. num. 3. de consuetud. Cælen. cons. 4. num. 6. Dec. cons. 437. in fin. Rol. à Valle cons. 22. n. 20. Afflict. decis. 388. num. 4. Pedemontan. decis. 99. num. 43. Ripa in cap. cum Ecclesia Sistrina, num. 44. de causa possessionis, & propriet. Mantica decis. 10. num. 12. Rebuff. de pacific. possess. num. 335. Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 6. num. 36. Rota decis. 778. in fin. part. 1. diuers. & decis. 162. num. 10. coram Gregorio XV. vbi latè Oliuer. num. 16. Et ratio est, quia tunc consuetudo non participat intrinsecas legis condiciones, quarum vna est, quod sit necessaria pro communitate, cap. Regula, distinct. 29. cap. erit autem, dist. 2. & ibi Gloss. verb. Neceßaria, S. Thom. 1. 2. quest. 95. art. 3. Medina, & Viuers ibid. Vasquez disp. 151. cap. 1. num. 10. Rebuff. tom. 1. Constit. reg. in procem. num. 26. & Xammar. de offic. Iud. part. 1. quest. 16. num. 51. Vnde si non est necessaria, indebitè, ac proinde irrationabiliter grauât subditos, & consequenter non potest habere vim legis, cum in tantum habeat vim legis, in quantum participat condiciones legis.

DVBITATIO XIV.

An seruandæ sint iuris solennitates in alienatione iurispatronatus, sepulchri, & similibus?

S V M M A R I V M.

- 1 In alienatione iurispatronatus, sepulchri, & similibus cum computentur inter bona immobilia, vel saltem mobilia pretiosa, seruandæ sunt iuris solennitates, si peres Ecclesiam existant.
- 2 Iurispatronatus laicum potest alienari de solo consensu Episcopi.
- 3 Iurispatronatus sepulchri, & similibus est quid spirituale.
- 4 Iura prædicta consequenter, seu accessorie vendi possunt sine simonia.
- 5 Ius patronatus sine simonia simpliciter alienari potest donatione, quia rebus sacris irreuerentia non committitur in donatione.
- 6 Donatio iurispatronatus laicalis non indiget Episcopi consensu, si fiat Ecclesiæ, vel loco pio, secus si fiat laico.
- 7 Idem dic cum permutatur spirituale cum spirituali, quod non est ipsum beneficium, sine simonia alienari posse permutatione cum iurispatronatus alicuius Ecclesiæ, vel loci pij, etiam sine Episcopi licentia.
- 8 Permutatio non potest fieri de iurispatronatus cum priuato sine Episcopi consensu, si iurispatronatus sit Ecclesiæ: at si sit iurispatronatus priuatum, non requiritur necessario, sed solum ex probabiliori sententia.

- 9 *Qua diximus de iurepatronatus, eadem dici possunt de iure sepulchri, quod directe sine simonia vendi non potest, secus autem accessorie.*
- 10 *Ius sepulchri sine simonia donari potest, seu permutari cum alia re spirituali.*
- 11 *Ius sepulchri in sententia nonnullorum Doctorum, etiam directe, seu solitarie sumptum sine simonia vendi potest.*
- 12 *Obligatio sepulchri est quid temporale, & per accedens adiungitur rei spirituali.*
- 13 *Habens sepulchrum proprium suis sumptibus emptum, vel adificatum quoad proprietatem, habita ratione expensarum, vendere potest sine simonia, & cur.*
- 14 *Sepulchrum ratione materialitatis à parentibus ad filios transferri solet.*
- 15 *Dicta de sepulchro extendi proportionaliter etiam ad capellam dari solitam pro usu sepulturae.*
- 16 *Insignia fundatoris, vel patroni, non possunt auferri à capella.*
- 17 *Amplia etiam in casu, quo is tanquam proditor à civitate expulsus fuerit.*
- 18 *Sepeliri non potest aliquis in sepulchro patroni, nisi postquam tota ipsius progenies extincta fuerit, secus tamen si rationabilis causa subsit sepeliendi, & quae ea sit.*
- 19 *Sepulchrum, vel capella in Ecclesia patronata construere potest etiam inuito patrono, vel fundatore.*
- 20 *Negligens sepelire fidelium corpora mortaliter peccat, si sit casus necessitatis.*

Repondetur affirmatiue, quia iuspatronatus sepulchri, & similium certum est ex dictis in dub. 1. & 2. inter bona immobilia, vel saltem mobilia pretiosa computari, ac proinde si apud Ecclesiam existat, non posse à Rectore, vel Praelato sine solennitatibus iuris in laicum alienari, quamvis si sit iuspatronatus laicum, possit de consensu Episcopi, cap. extra, de iurepatronatus, & docent Riccius de ci. 43. Bonacina punct. 2. n. 15. & alij communiter Doctores.

Obiicies: Iuspatronatus sepulchri, & similium est quid spirituale: ergo etiam seruatis conditionibus iuris, vendi non potest sine simonia.

Responderetur, concedo antecedens: at distinguo consequens, etiam seruatis conditionibus iuris vendi non potest sine simonia, directe, seu solitarie sumptum, concedo: consequenter, seu accessorie, simul scilicet cum hereditate, cui tale ius annexum est, nego. Sic communiter Doctores in tractatu de simonia.

Cæterum iuspatronatus, &c. sine simonia simpliciter alienari potest donatione, quia rebus sacris irreuerentia non committitur in donatione, vt patet, quæ donatio non indiget Episcopi consensu, si fiat Ecclesiae, vel loco pio: quamvis indigeat, si fiat laico, cap. quod autem, & cap. illud, de iurepatronatus, & docent ex communi Rochus de iurepatronatus, quest. 7. num. 16. Mol. de primog. lib. 1. cap. 24. num. 13. & Lambertinus de iurepatronatus lib. 1. part. 2. quest. 1. art. 2. Item (cum permutetur spirituale cum spirituali, quod non est ipsum beneficium) sine simonia alienari potest permutatione cum iurepatronatus alicuius Ecclesiae, vel loci pii, & hoc etiam sine licentia Episcopi, cap. nemini, 17. quest. 6. & tradit Gloss. in cap. cum saeculum, verb. Emptorem, & Clement. 2. verb. libere, de iurepatronatus. Si verò permutatio fiat cum priuato, requiritur necessario consensus Episcopi, si iuspatronatus sit Ecclesiae: at si sit iuspatronatus priuatum, non requiritur necessario, sed solum ex probabiliori sententia Doctorum. Sic Rochus loco supra cit. quest. 16. num. 301. Mol. num. 14. & Lambertinus quest. 3. art. 1. 2. & 3.

Et quod dixi de iurepatronatus, dico de iure sepulchri (quod quis habet, vt ipse, ipsiusque haeredes, successores, & quicumque ab ipso designati in loco ab Episcopo benedicto sepeliantur, & non alij) scilicet directe, seu solitarie sumptum, sine simonia vendi non posse, quia est quid spirituale; vendi tamen posse consequenter, seu accessorie, simul cum praedio, cui tale ius annexum est, vt supra de iurepatronatus dicebam. Item & sine simonia simpliciter donari posse, vel permutari cum alia re spirituali.

Quanam autem ratione iuspatronatus, ius sepulchri, & quid aliud simile, possit ad successores deuenire, vide Couar. 2. var. 6. 1. 8. n. 8. & seqq. & Mol. de primogenit. cit. cap. 24.

His adde quod Suar. tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia, cap. 14. Sanch. tom. 1. conf. 3. dub. 14. num. 1. & Ioan. de la Cruz præf. 7. quest. 4. dub. 9. satis probabiliter tenent, quod ius sepulchri, id est, pro obligatione, vt in tali loco nullus alius præter emptorem, successores, & quoscumque ab ipso designatos sepeliatur, etiam directe, seu solitarie sumptum sine simonia vendi possit, quia talis obligatio, inquit ipsi, est quid temporale, & per accedens adiungitur rei spirituali, sicut & sine simonia, qui sepulchrum proprium suis sumptibus emptum, vel adificatum pro se, vel suis habet, illud quoad proprietatem iuxta valorem fundi, & respectu habito ad solas expensas in eo adificando factas, vendere potest, quia sic non venditur benedictio loci, sed materiale illud, ad quod alia sequuntur, vnde ratione materialitatis, quæ in ipso est, iure hereditario à parentibus ad filios transferri solet.

Et quod dictum est de sepulchro, idem proportionaliter dicunt etiam de Capella, quæ in Ecclesia præsertim Regularium, dari secularibus pro usu sepulturae consuevit: Sanchez loco supra citato, num. 4. & alij, qui subdunt, non posse insignia fundatoris, vel patroni in ea posita auferri. Doctores etiam, quos citat, & sequitur Lezana tom. 2. cap. 11. num. 23. Idque neque in casu, quo is, tanquam proditor, è civitate expulsus fuerit, l. qui liberali, & l. opus nouum, ff. de oper. publ. & Roman. singular. 480. & 673. Peyrinus tom. 1. priuileg. Minim. in constit. 26. Leon. X. num. 24. & videri etiam poterit Lambertinus de iurepatronatus lib. 1. part. 1. quest. 11. art. 13. & lib. 3. quest. 5. art. 4. & Lauorius var. tom. 1. lit. 2. cap. 10. Subdunt secundo, non posse ibi sepeliri alios, nisi postquam tota emptoris progenies extincta fuerit. Doctores etiam quos citat, & sequitur Lezana num. 23. & sequent. Lambertinus cit. art. 4. Peyrinus cit. num. 49. & Portellus in respons. moral. part. 2. casu 20. num. 1. loquens de Capella vni concessa, an alteri postea concedi possit. Subdunt tertio, posse tamen ibi alios sepeliri, si rationabilis causa subsit, scilicet si sepeliendus non habeat sepulturam propriam, & non sit in Ecclesia, vel Cæmeterio sepultura communis; quia tunc est præstare extremam indigentem elemosynam, quæ fieri potest de bonis alterius, inuito domino. Archidiaconus in cap. precipiendum, 13. q. 2. Roman. singular. 692. Abb. in cap. abolenda, de sepultur. num. 5. Peyrinus loco citato, num. 22. Subdunt quarto, ad construendam sepulturam, vel Capellam in Ecclesia patronata, seu quæ fundatorem habet, non requiri consensum fundatoris, quia eo inuito, ea ibi constitui potest; quia exinde nullum patrono inferitur præiudicium, & Ecclesiae confertur beneficium, quod cum patronus procurare teneatur, est irrationabiliter inuitus, & sic ipsius contradictio nihil obstat. Lambertinus cit. lib. 1. part. 1. quest. 3. art. 17. Lauorius cit. lit. 2. cap. 9. num. 83. & Peyrinus num. 50. Subdunt quinto, concessa Capella, non intelligi concessum ius funerandi, nisi exprimat. Archidiaconus in cap. 1. de pactis in 6. Bonifac. in Clement. dudum, §. huiusmodi, n. 1. de

de sepult. & Genuens. in prax. cap. 33. num. 17. & c. 61. num. 7. Subdunt sextò, peccare mortaliter eum, qui fidelium corpora sepelire negligit, quando non est alius, qui id officium præstet; quia opus misericordiae, & charitatis obligat in casu necessitatis. Doctores, quos citat, & sequitur Layman lib. 3. cap. 12. num. 12.

DVBITATIO XV.

An seruandæ sint iuris solennitates in concessione feudi, vel emphyteusis?

S V M M A R I V M.

- 1 Feudum, vel emphyteusis si non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur, seruanda non sunt iuris solennitates.
- 2 Renouatio feudi, vel emphyteusis antiqua non reputatur alienatio, sed prioris alienationis facta continuatio.
- 3 & 4 Feudum, vel emphyteusis, si de nouo concedatur, seruanda sunt iuris solennitates, quia tunc concessio feudi, vel emphyteusis est vera domini utilitas, & cuiusdam Ecclesiasticae seruitutis alienatio.
- 5 Positis iuris solennitatibus potest feudum, vel emphyteusis in perpetuum, etiam pro hæreditibus extraneis concedi.
- 6 Ecclesia seruatis iuris solennitatibus concedit etiam in perpetuum pro hæreditibus extraneis venditionem, & donationem.
- 7 Vt renouatio feudi, & emphyteusis non noua alienatio, sed prioris antiquæ alienationis, seu concessionis continuatio reputetur, tres conditiones requiruntur.
- 8 Prima conditio est, ut feudum, vel emphyteusis concedatur eodem modo, ac prius erat concessa, ita ut si quæ fiat variatio, non censetur continuatio antiqua.
- 9 Secunda conditio est, ut in renouatione adsit evidens Ecclesiæ utilitas, sicut adsit in prima concessione, alias renouatio illicita erit.
- 10 Sufficiens causa renouandi emphyteusim est remuneratio obsequij in ea facti, quia sic in utilitatem Ecclesiæ excitantur alij ad meliorationes faciendas.
- 11 Tertia conditio est, ut res non sit iterum Ecclesiæ incorporata, quia per incorporationem extinguuntur prima alienatio, & res fit ita Ecclesiæ, ac si nunquam ab Ecclesiâ exiisset.
- 12 & 13 Incorporata dicitur res Ecclesiæ, si is ad quem administratio spectat, decernat eam non alienare, quod præsumitur si finita emphyteusis per annum integrum a renouatione abstinerit.
- 14 Res Ecclesiæ semel cum solennitate iuris alienata, est semper sine solennitate iuris alienabilis, interuenientibus tribus dictis conditionibus.
- 15 Terra sterilis potest concedi in emphyteusim, et melioretur.

Respondetur distinguendo, seruandas non esse, si feudum, vel emphyteusis non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur, quia talis renouatio non reputatur alienatio, sed prioris alienationis facta continuatio. Sic dicebam supra dub. 1. & docent Socinus consil. 169. n. 9. lib. 2. Iason consil. 155. lib. 2. Lessius lib. 2. de iust. & iure, cap. 24. dub. 11. num. 59. Couar. 2. var. cap. 17. n. 4. Clar. §. emphyteusis, q. 6. n. 1. & §. feudum, q. 13. n. 1. Riccius decis. 26. 70. & 116. Genuens. Thom. Delbene de Immunit. Eccles. Pars I I.

in praxi, cap. 60. n. 5. & 6. Menoch. de arbit. casu 81. n. 5. & seqq. Mol. de iust. disp. 469. concl. 5. Valquez in opus. de redditibus, c. 2. §. 2. dub. 16. n. 57. Sopranus apud Fillium tract. 44. c. 4. ad fin. Gonzal. reg. 8. Cancellar. gloss. 6. n. 194. Scortia thesor. 116. Quaranta verb. Alienatio. n. 39. & seqq. Barbosa de iust. Episc. part. 3. alleg. 95. n. 29. & Bonacina q. 8. punct. 4. n. 30. & habetur ex cap. 2. de feud. & ex Extrauag. Ambrosia, ibi: Vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis.

At seruandas esse, si feudum, vel emphyteusis concedatur de nouo; quia tunc concessio feudi, vel emphyteusis est vera domini utilitas, & cuiusdam Ecclesiasticae seruitutis alienatio. Sic communiter Doctores, & habetur ex cap. 1. de his, quæ fiunt à Prelato, & ex cit. Extrauag. Ambrosia, ubi cum excipitur feudum, & emphyteusis in casibus à iure permissis, (id est, quando res est solita dari in feudum, vel emphyteusim, ad cuius veritatem sufficit vnica concessio, teste Claro §. feudum, q. 13. n. 4. Molina disp. 648. concl. 8. Riccio decis. 26. n. 3. & Barbosa cit. alleg. 95. n. 36.) consequens est, quod in aliis casibus, nisi interueniant iuris solennitates, prohibeatur.

Cæterum positis iuris solennitatibus potest feudum, & emphyteusis in perpetuum, etiam pro hæreditibus extraneis concedi; quia ius Canonicum, cui in hac re, utpote ad Ecclesiam spectante, standum est, omnem venditionem, donationem, permutationem, feudum, & emphyteusim prohibet, non seruatis iuris solennitatibus, & è contra omnia hæc absque vlla exceptione concedit, seruatis iuris solennitatibus; ergo.

Confirmatur, quia in perpetuum, etiam pro hæreditibus extraneis, si seruentur iuris solennitates, concedit venditionem, & donationem; ergo multo magis si seruentur iuris solennitates, concedet feudum, & emphyteusim. Consequentia probatur, quia per venditionem, & donationem transfertur dominium directum, quod est quid maius: per feudum autem, & emphyteusim transfertur tantum dominium utile, quod est quid minus. Sic Doctores, quos citat, & sequitur Couar. 2. var. c. 17. n. 4. & 5. Clar. lib. 4. sentent. §. emphyteusis, q. 6. n. 4. & q. 28. num. 5. & seqq. Mol. de iust. disp. 469. concl. 1. Valq. de redditibus, cap. 2. §. 2. dub. 16. num. 57. & colligitur ex Aubert. de alien. & emphyteusi, §. licentiam, ubi corrigitur Aubert. de non alien. §. emphyteusim, concedens emphyteusim solum ad vitam accipientis.

Dixi, iuris solennitates seruandas non esse, si feudum, vel emphyteusis non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur. Vbi aduerte, quod ut renouatio feudi, & emphyteusis non noua alienatio, sed prioris antiquæ alienationis, seu concessionis continuatio reputetur, tres conditiones requirantur, quarum

Prima conditio est, ut feudum, vel emphyteusis concedatur eodem modo, ac prius erat concessa, v. g. si prius erat concessa, ut non se extendat ad hæredes extraneos, vel ultra vitam vnius, neque in renouatione ad extraneos, vel ad vitam alterius concedatur; ita ut si quæ fiat variatio, non censetur continuatio antiqui feudi, vel emphyteusis, sed noua concessio. Sic Mol. loco cit. Clar. §. feudum, quest. 13. Genuens. in praxi, cap. 60. num. 6. Riccius in praxi, decis. 26. Barbosa alleg. num. 32. Bonacina punct. 2. num. 20. & alij passim.

Secunda conditio est, ut in renouatione adsit evidens Ecclesiæ utilitas, sicut adsit in prima concessione, alias renouatio illicita erit. Vnde si prius datum fuerit prædium sterile in emphyteusim, ut sic ad culturam reduceretur, & finita emphyteusis, non

O 3 sterile